



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

12 Praelatus, & Conuentus diuersa, adeo vt proprie praelatus non est de Conuentu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



DECISIO I.

Ex consil. 1. in antiquis aliis 2. in Novis.

**I** Vlex habens ius, & potestatem confirmandi, vel infirmam electionem alicuius a Capitulo factam, ad instantiam partium, vel ex officio suo per se, vel commissarios iudices potest, & debet cognoscere, & inquirere de modo electionis, an sit canonicè facta, c. Cu nobis, de electione, & de persona etiam electi, an sit idonea, c. Venerabilem, tit. eod., & c. oblatæ, de appel., & alia facere quæ ad publicam utilitatem spectant, etiam compellendo Capitulum, & arbitros commissarios eius, & Notarios ad edenda instrumenta, & acta publica coram eis gesta, quæ ad causam illius iustam & breuem expeditionem pertinent, c. Quoniam contra, de probat.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 8.

**E**lectio superioris facta a Definitorio alicuius Capituli, servatis alijs servandis, si post tenebras, & quando iam sine candela non possit cerni, nec discerni, facta sit, quamvis quoad forum conscientiarum, cessante fraude, valida sit, & etiam quoad forum exterius, secundum iura antiqua c. Consultuit, de offic. del. & Felin. ibi, quæ non requirunt formam eligendi secreta, post Concilium tamen Tridentinum sess. 25. c. 6. de reg. & c. quia propter, de electio, & constitutionem ordinis super eius executione factam, secundum quam requiritur forma secreta suffragandi per schedulas, quæ commodè fieri non potest sine lumine diei, nocte fieri non potest.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 7.

**E**lectio post suffragiorum collatione ex incontinentia, & aliter ex intuitu, vel ex ignorantia, vel ignorantia quadam eligentium, vel fraude electi facta, non valet, cum de forma substantiali electionis sit, quod statim post collatione suffragiorum fiat, c. Quia propter, & c. cum post petitam, de elect. secus tamen si post mortem interpositam per malitiam, vel dolum eligentium, vel aliam iustam causam sine fraude electi fiat, tunc enim valida iudicari debet, quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, c. Denique, 14. q. 5. & l. Non debet, ff. de reg. iur. Nec quisquam sine culpa iure suo privatus est, cap. sine culpa, de reg. iur. in 6. Publicato autem scrutinio, non possunt variare, qui suffragari sunt, sed ad seum eligendum, qui secundum suffragia publicata eligi debet, compelli possunt, c. Publicato, de electio.

DECISIO IV.

Ex consil. 4. alias 9.

**E**lectio, in qua unus electorum sine fraude, & malitia suffragium suum socio detegit, reliquis omnibus secretò suffragantibus, non obstante Concilio Tridentino sess. 25. c. 6. de regular. valida censeri debet, cum defectus occultus unus de Capitulo nocere non debeat Capitulo id ignorantibus, neque actum ab eo aliam legitime factum, c. sin. de procur. Præsertim cum ostensio præfata suffragij non sit facta fraudulenter, nec causa est, ut alij pro tali suffragarentur.

DECISIO V.

Ex consil. 5. alias 5.

**E**lectionem a maiori parte factam non admittens, graviter peccat c. Indemnitibus §. 1. de elec. in 6. & talis electus ius repetendi Abbatiam, ad quam est electus acquirit, quod si alter minis, aut metu eligatur, electio invalida & nulla efficitur, cum omnis electio metu facta, ipso iure nulla sit, c. Vbi periculum, §. ceterum, tit. eod. & Nau. in Man. c. 17. nu. 29. & c. 22. num. 51.

DECISIO VI.

Ex consil. 6. alias 6. de verb. signif.

**R**eligiosus privatus voce activa, & passiva iuxta Concilij Tridentini decretum, sess. 25. c. 2. de regular. om-

ni iure dandi vocem ad aliquem actum faciendum in Capitulo, & iure patendi vocem datam de ipso a Capitulo, Conventu, vel Collegio, quoad ea, quæ sibi sunt oneri, & pœna, privatus censetur, Gloffa Cle. 1. de regul.

DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 4.

**S**crutatores electi ad faciendum electionem, si in electione falsum aliquid miscerint, non dicentes quot suffragia habeatis, in quem maior pars consensit, mortaliter peccant, & electio nulla est; & ipsi ultra privationem potestatis eligendi, arbitrio iudicis puniendi sunt, c. Quia propter, de elect.

DECISIO VIII.

Ex consil. 8. alias 6. de appellat.

**S**uspensio voce activa & passiva beneficium alia via, quam electionis acquirere, illudque administrare potest. Quia cum suspensio contra limites suos non operetur, quamvis voce activa & passiva privatus beneficium per electionem, (in qua sola habet locum vox activa & passiva) consequi non poterit, ad consequutionem tamen beneficij via collationis, vel institutionis non extenditur, cum hæc diversa sint, c. Cum in illis, §. 1. de elect. in 6. & Nau. in Man. c. 27. nu. 163.

DECISIO IX.

**S**uspensio ab officio, & ingressu ecclesie, cuius solius violatio irregularitatem inducit, appellatione suspendi non potest, c. Is cui, §. final. de sen. exc. in 6. suspensio autem a beneficio, vel eius administratione, vel a Pontificalibus, vel usu pallij, vel a voce activa, & passiva, per appellationem legitimam subsequentem suspenditur, nec aliqua illarum violatione irregularitas incurritur, Arg. c. 1. §. si. de senten. exc. in 6. & c. 1. de sent. & re iud. in 6.

DECISIO X.

Ex consil. 9. & alias 10. & 11.

**G**eneralis Minorum finito triennio sui officij, durante sequente triennio Vicarius Generalis, vel Procurator Generalis constitui non potest, eo quod Generalis, & Vicarij Generalis eadem sit iurisdictio, & tribunalis c. Non putamus, de consuet. in 6. cum tamè illius ordinis Superiores tanto tempore subsistere debent, quâto præfuerunt, nisi forte gradum superioritatem assument. Quia verò Procuratoris officium minus est Generalatu; & durante triennio sequenti non potest deligi ad minora officia Generalatu, immo correctori subiectus esse debet: Procurator autem Generalis nulli alij, quam Generali subditus sit, proinde neque Procurator Generalis immediate fieri potest.

DECISIO XI.

Ex consil. 11. alias 1.

**E**lectio propter concursum excommunicati non denunciati, si alias legitime de sufficientia aliorum electorum constet, non fit irrita, secus tamen si excommunicatus denunciatus erat, & constat illis, qui simul eligunt, c. Illa, de elect. & c. solet, de sen. exc. in 6.

DECISIO XII.

Ex consil. 12. alias 12.

**C**um prælatus, & conventus diversa sint, adeo quod propriè prælatus de capitulo, & conventu non fit Glof. recep. in Cle. vi ij qui, de ata. & qual. & conventus in ijs, quæ ad eum separatim pertinent, sine prælati consensu agere potest; Inno. in c. edoceri, nu. 6. de rescrip. conuetus cum Vicario qui solet appellari Superior in Monasterijs, quæ p Priores reguntur, & Prior claustralis in Monasterijs quæ reguntur per Abbates, c. Cum ad monasterium, §. prior. de stat. monach. cuius officium per mortem Abbatis, vel Prioris non vacat Cle. Ne in agro, §. abbate, de statu monac. neque a Priore, vel Abbate, sed a iure communi potestatem suam recipit; Procuratores ad electionem promovendam cum facultate suffragandi, & pro



pro conseruatione rerum Monasterij, ad obligandum res & redditus eiusdem Monasterij constituere valet; Nec Provincialis dictos Procuratores a conuento legitime constitutos reuocare, nec Prælati electionem Procuratoribus illis non vocatis facere potest.

## DECISIO XIII.

*Ex consil. 12. alias 3.*

**G**eneralis, & Definitorum cum maiori parte Capituli in modum eligendi iure communi conformem, neque in toto neque in parte, absque expressa Papæ facultate, tollere possunt; quia nulli ei inferiori legem iuri communi contrariam edere licet, c. Quod super his, de maior. & obed. inferior. d. 4. clem. Ne Romani, de elect.

## DECISIO XIV.

*\* V. L. a Novis, deest in antiquis.*

**Q**uamuis Collegium ex duobus saltem constare debet, c. Cum inter Canonicos, de elect. in tali tamen eorum exteriorum solum eligere possunt; siquidem ut electio valeat, a maiori parte fieri debet, c. Cum inter canonicos, & c. quia propter, de elect. ubi autem duo tantum essent in Collegio, quia nec quis seipsum eligere valet, nec suffragando alteri maior pars suffragiorum adesset, ut electio ab eis validè fiat, extraneus idoneus eligi debet.

## TITVLVS VI.

De Renunciacione.

## S V M M A R I V M.

1. Renunciatio beneficij facta coram Notario sine prælati auctoritate est nulla.
2. Confidentia præsumitur, siquid renunciatus post collationem ex beneficio percipiet.
3. Beneficium in manibus Papæ resignatum, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij.
4. Publicationis ommissio, quando resignationem annullat.
5. Episcopus renunciatus, qui vegetus est, & usus esse potest peccat.
6. Renunciatio reciproca, & illicita, quæ censetur?
7. Renunciatio beneficij facta virtute mandati reuocati, sed non intimati procuratori, valida est.
- \* 8. Renunciatio episcopatus sine licentia Papæ perita, sed non obtenta, non valet.
- \* 9. Beneficium resignatum Episcopus proinquo resignantis conferens, a collatione beneficiorum suspensus est.
10. Resignatio beneficij per procuratorem absentis facta in manibus Papæ admittentis, quidnam operetur?

## DECISIO I.

*Ex consil. 1. in antiquis, alias 3. in Novis.*

**R**enunciatio beneficij coram Notario, & testibus sine superioris licentia, facta, ipso iure nulla, & inualida est. Quod in dubijs, & c. admonet, de renunciat.

## DECISIO II.

**R**enunciatus beneficium coram Ordinario nulla facta confidentia expressa, & aliquos fructus beneficij a renunciatio postea ob paupertatem accipiens, quamuis in foro conscientie non sit peccati arguendus si nulla fraus interuenit, in foro tamen exteriori interuenisse confidentiam præsumitur. Ita Pius V. in Bulla contra confidentarios, quæ incipit, intolerabilis, edita anno 1569. Constit. 87.

## DECISIO III.

*Ex consil. 2. alias 7.*

**R**esignatio beneficij a sano facta in manibus Papæ, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij, nec illud alteri conferre potest ordinarius, etiam si resignans infra 20. dies in mense ordinarij moriatur, cum per talem resignationem, & provisionem vicè vacauerit beneficiu,

& collatum fuerit resignatario; Et Reg. 1. Cancellarie de infirmo resignante, non de sano intelligenda est.

## DECISIO IV.

*Ex consil. 3. alias 8.*

**O**btinens a Papa beneficium per resignationem, & expressis literis ad imperium patris, & ad evitandam discordiam inter cognatos eius, & resignantis, ultra sex menses resignationem publicare, & possessionem capere omittens, nec beneficium obtentum perdit, nec fructus perceptos restituere tenetur; eo quod lapsus sex mensium præscriptorum ad publicandas resignationes, & beneficij resignati apprehensionem, saluo iusto impedimento intelligi debet, cum agere iuste impedito non curat tempus. Quia diuersitatem, de concess. præb. & capit. Ex transmissa de præser. Et patris obedientia ad evitandam discordiam ex publicatione euidenter fecuratur, iustum censetur esse filio impedimentum, maxime cum ex ea dilatione nulli fiat præiudicium.

Quoad modum & formam publicandi beneficiorum resignationes, legenda est Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Humano viro*, & est 87, in ordine eiusdem, edita anno 1583, Nonis Ianuarij.

## DECISIO V.

*Ex consil. 4. alias 2.*

**E**piscopo renunciare Episcopatu, & dignitati, qui coram, & animi viribus satis adhuc vegetus est, & magno cum fructu, concionando, prælegendis, & consulendo, & Sacramenta ministrando prodesse potest, sine peccato, non licet, ut contemplationi quietis dare se possit. c. 1. & c. Nisi cum pridem, de reuoc.

## DECISIO VI.

*Ex consil. 5. alias 10.*

**R**ector resignans sine vlla reservatione rectoriam suam in fauorem alterius, qui est filius alterius Rectoris, qui post aliquot annos renuntiat aliam suam Rectoriam in fauorem filij primi Rectoris reseruata pensione medietatis fructuum, non censetur renuntiationem reciprocam, & a Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de refor. damnatam admississe; eo quod nullum ibi interuenit pactum aut conuentio tacita vel expressa resignationis vnius in fauorem alterius, & è contrario; sed solum patet renuntiationem resignauit, ut iure naturali gratitudinem suadeante, & obligationem antidotalem inducente, amico suo benemérito ostenderet. Ita Nau. in Manu. c. 23, nu. 107, & 116.

## DECISIO VII.

*Ex consil. 7. alias 11.*

**R**enunciatio beneficij virtute mandata reuocati, dum modo reuocatio procuratori ipsius renunciatis ad renunciandum non sit intimata, neque ei, in cuius manibus erat facienda renunciatio, valida est; nec sufficit illius reuocationis notitia ad eum, in cuius fauorem renunciatio facienda erat, venisse, sed requiritur, ut reuocatio illa procuratori renunciatis intimata sit, ad hoc ut renunciatio per Procuratorem facienda nulla censetur. Clem. 1. de reuoc. & g. ibi.

## DECISIO VIII.

*\* II De renunciat. in Novis deest in antiquis.*

**E**piscopatus sine licentia Papæ etiam perita, sed non obtenta renunciatio non tenet. Arg. c. si de reuoc. & c. licet, de reg. iur. etiam si in manibus Capituli fiat, ad quod electio spectat, nec causat vacationem, nec etiam aperit, ut ad electionem procedi possit; si tamen ob talem renuntiationem inualidam, & nullam, Capitulum ad vltiorem electionem procedat, ipso facto eligendi potestate non priuatur, cum id nullibi expressum in iure sit; priuationis autem poena, non nisi in casibus a iure expressis incurritur. Glo. in c. fin. de iur. pat. Quia tamen crimen in admittendo est a summo Pontifice priuari potest. Sicut a simili, licet simoniacus conuentionalis tantum, & non realis.